

„Quid factum est? Cur hic artus passim circumiacent? Num hi artus mei sunt? Ita videtur. Ubi equi mei sunt? Ubi currus meus est? Qui homines isti sunt? Cur omnes artus tam diligenter inspiciunt? Quorum unus subito loqui incipit: ‚Ecce, crudelia talia raro vidi! Artus distracti et vestes raptae passim circumiacent. Quo modo id solum fieri potuit?‘ Alius vir, qui investigator esse videtur, dicit: ‚Puto tres causas esse posse: primum poenam deorum, deinde caedem crudelem, postremo accidentiam.‘ Subito procul aliquis vocat: ‚Videte, equos et currum deletum inveni!‘ Qui cum equis ad viros properat, ut ii plus indiciorum exquirant. Equis et currum satis inspectis nunc ab iis instituitur hoc accidentiam fuisse debere. Iis enim videntur equi currum deripuisse et videor ego eo modo mortuus esse. Desaevio animo, etsi possem, pectus meum palmis ferirem et capillos raperem. Investigatores quidem vestigium rectum sequuntur, sed cur de causa non cogitant, qua equi subito mihi frena rapuerunt? Postquam id nunc audivi, nondum ad inferos delabi possum. Cur isti viri aquam totam non vident? Oh, eos viros aegre ferre non possum, quoniam me ipsum interrogo, unde monstrum venerit. Maxime investigatoribus dicerem hoc accidentiam non fuisse, sed me non audiunt. Quid faciunt nunc? Num abeunt? Sed nihil adhuc repperunt. Iuro per Neptunum, meum avum, me ipsum reperturum esse, quis me necaverit, ut animum meum placem. Membris sepeliendo allatis nunc ad mare eo, ut cogitem. Me meae inscientiae piget, unde hoc monstrum cornigerum ponti venerit. Profecto numen, quod mihi monstrum miserit, fuisse videtur. At quem deum ita irritavi, ut me tali iniuria afficeret? Neptunus, deus maris, utique fuisse non potest, quia nepos eum semper colebam. Igitur homo erat, qui deum incitaret? Phaedra fortasse particeps meae miseriae erat, quia cum ea litigaveram? Nesciam quidem, quis praeterea id fecerit. Ut hoc vestigium sequar, nunc ad tecta alta ibo et spectabo, quid Phaedra agat... Ibi video Phaedram supra meum corpus haerere et flentem dicere: ‚Eheu, quid modo feci, me miseram?‘ et video eam mucrone stricto pectus suum percutere. Cur Phaedra ita agit? Cur mortem sibi consciscit? Quid hoc rei est? Phaedra vero in culpa erat? Haecne deum ad tale facinus induxisse potest? Deinde etiam Theseus accedit et uxorem discedentem videns eam rogat, quid factum sit. Itaque Phaedra meo patri facinus suum confitetur et hic non lugere, sed saevus increpare incipit. Praeterea ei sepulturam non ordine dignam instituit. Hoc mihi argumento est! Ista Phaedra simulans meum patrem decepit et meus avus ab eo incitatus monstrum horribile ad me certe misit. Nunc tranquillo animo ad inferos delabi possum, quamquam tamen me rogo, qui omnia haec meruerim...“

Venus supra Olympum ridens audaciter dicit: „Ita fit, Hippolyte, si a me abhorres. Sicut homines felices esse etiam dolere iubere possum.“

(Thema 2: Ermittlungen am Tatort eines beliebigen Mythos der Seneca-Tragödien.)